Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2149
Quelle:
Copyright:

Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.
O Crux lignum triumphale,
Mundi vera ſalus ave! *
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.
Medicina chriſtiana!
Salva ſanos, aegros ſana,
Quod non ualet vis humana,
Sit in tuo nomine!

Aſſiſtentes crucis laudi,
Conſecrator crucis! audi,
Atque Servos tuae crucis
Poſt hanc vitam verae lucis
Transfer ad palatia.
Quos tormento vis ſervire,
Fac tormenta non ſentire,
Sed cum dies venit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Quae aſteriſco notavi, nitorem horum Rhythmorum deturpant. Et fortaſſe prior illa Stropha tota irrepſit, et linea *Mundi vera ſalus ave*. Utraque enim liquido eliminari poteſt. Tò *Moyſis* tribus ſyllabis proferendum eſt.

DCCCXCVIII.

R. 2140 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 19. fol. max. magnifice nigro rubroque charactere luculentiſſimo exaratus continet *D. N. J. C. Paſſionem ſecundum Matthaeum* quatuor Vocibus in uſum, ut videtur, Capellae Caeſ. aulicae illigatam, Notisque muſicis ſubſcriptam Accedit de eadem Paſſione *Canticum* eodem modo adornatum ab egregio Compoſitore. Verſio germanica non optimi commatis. Ita Verſus 8. et 9. C. XXVI. *Ut quid perditio haec? Potuit enim unguentum iſtud venundari multo* &c. ſic redditus: *Wotzu dienet dieſer vnrath? Dieſes waſſer hette mocht tewer vorkaufft werden.* Canticum ita incipit: *Concluſio:*

Dank ſey vnſerm herren Ihesu Chriſto,
Der vns erlöſet hat durch ſein leyden von der Helle.
O Ihesu Chriſt! Dein Nham der iſtſo gwaltiglich,
Dafür auch ſich ein iglich knie thut neigen &c.

DCCCXCIX

U. 38 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 166. f. per duas columnas probe exaratus, rubro diſtinctus, literis initiorum, iconiſmis et figuris quamplurimis picturatis decorus, et optimae notae complectitur ſequentia: I. Schemata tria *Tonaria*, quorum primo inſcriptae Regulae hujusmodi metricae:

Quique cantus ad octauas ſalit et ad decimam
Et ad quintas (a) *finali poterit deſcendere.*
Quando plagę et autenti non ſunt differentię
At autenti ad octauas competenter ſaliunt